



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regvla XLIX. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## REGULA XLIX.

In pœnis benignior est interpretatio facienda.

**C**onsentit & Pauli Regula: In pœnalibus causis benignius interpretandum est, l. Factum cuius §. fin. D. eod. tit. Intelligit autem, quando obscurum est, quæ pœna delinquenti infligenda sit, durior an levior; cum in dubiis semper benigniora præferenda sint, l. Semper in dubiis §. 6. D. hoc tit. Ubi enim certa à jure pœna præscripta est, non est licitum ab ea recedere. Nec enim in certis ullus conjecturæ aut interpretationis locus est, l. Continuus §. 7. §. 2. in fine D. De verb. oblig. Quamquam si causa subsit, lex permittat etiam iudici à statuta pœna discedere, eam vel minuendo vel augendo, per text. in l. 3. l. 4. C. Ex quib. caus. infam. irrog. in l. Quid ergo §. 3. pœna gravior D. De his qui not. infam. in l. Bepi. tendum §. 1. in l. Hodie §. 1. in l. Aut facta §. 6. De pœnis, & in cap. fin. Ext. De transact. Igitur, ubi obscurum est, quæ pœnâ reus affici debeat, in mitiorem pœnam declinamus: cum interpretatione legum pœnæ molliendæ sint potius quàm exasperandæ, l. Interpretatione §. 4. D. De pœnis, & rapienda si occasio, quæ præbet benignius responsum, l. Rapienda §. 6. D. hoc tit. Unde si in ipsis verbis legis ambiguitas insit, quæ & in leniorem, & sæviorem sensum rapi possit, leniorem magis interpretationem sequemur; cum hoc humanius sit, cap. Ex literis §. 1. Ext. de constitut. & supra attingi ad cap. In obscuris. Quod & in sententiis iudicium observabimus, l. Si præses §. 2. D. de pœnis. Quod si variis pœnis idem delictum leges perfe-

quantur, eadem ratione mitiorem pœnam amplectimur, per text. in can. Si quis dederit in V. humanus junctâ ibid. Glos. xiv. quest. 1. Quid autem, si nulla pœna in delinquentem à jure statuta sit, an ne similis delicti pœna in hunc traduci poterit? Minimè, cap. Statutum §. 2. De elect. in 6. junctâ hæc reg. sed pœnâ arbitrio & humanitate iudicis constituetur, cap. Si in fine Ext. De transact. l. 1. §. 1. D. De effraçtorib. Nisi viva & expressa ratio diceret, delinquentem eadem pœnâ coercendum esse. Nam hoc casu pœna unius delicti ad aliud rectè producit, per text. in cap. 1. §. porro cum §. sed qui a Qua fuit prima causa benef. amit. in Feud. junctâ l. Non possunt §. 12. cum l. seq. D. De legib. Neque movet text. in cap. penult. Ext. De sent. excom. quo verbum excommunicationis in dubio de majori excommunicatione intelligitur, non de minori; at verò minoris excommunicationis pœna mitior est, quàm majoris, ut in d. cap. penult. quia alta ratio subest in excommunicatione, quæ idèd in dubio de majore intelligitur, quod hæc magis saluti expediat ad continendos homines in officio Christiani hominis (nam idcirco medicinalis dicitur, cap. 1. De sent. excom. lib. 6.) Quod non est in excommunicatione minore. Sed de hoc argumento fufius agit Did. Covarr. quem vide ad cap. Almamater §. 8. num. 5. Conjunge ad hanc Reg. quæ retulimus ad cap. In obscuris, supra eodem.

## REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

**A**ctum legitimum vocamus, qui à lege vel introductus est; ut sunt heredis institutio, l. Verbis legis §. 10. D. De verb. signif. adoptio, l. Si tibi §. 24. D. de adopt. emancipatio, hereditatis aditio, & similia, ut in l. Actus legitimi §. 77. D. h. tit. vel à lege certam formam recipit, veluti stipulatio, l. 1. D. De verb. obligat. vel denique à lege approbatus est; ut emptio, venditio, locatio, aliique contractus juris gentium, l. Legitima §. 6. D. de pact. Non tamen omnes hi actus hac Regula nostra comprehenduntur: siquidem maxima eorum

pars conditionem & diem recipiunt, probant tituli D. De condit. instit. de condit. & demonstr. Ext. De condit. appof. & §. omnis stipulatio Inst. De verb. oblig. & alia loca quàm plurima. Quare hæc accersenda est Pomponii Regula in d. l. Actus legitimi, ad quam accommodanda erit hæc Reg. nostra: Actus legitimi, inquit Pomponius, qui non recipiunt diem vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Nonnumquam tamen actus superscripti tacite recipiunt, quæ aperte com-

Cccc 2

prehanse